

Eapropter, cum Nobis a quamplurimis humiliter supplicatum fuerit, ut typis iterum reimprimendi Rituale Romanum, Cæremoniale Episcoporum et Pontificale Romanum hujusmodi, et non solum in iisdem antedicta omnia a Nobis statuta addendi, verum etiam nostro jussu in lucem emittendi licentiam de apostolica benignitate et auctoritate concedere, et indulgere dignaremur:

Nos itaque probe scientes, et experientia edocti quantum prosit, ut in uno volumine simul collecta ad manus sint ea omnia, quæ sparsim ac divisim impressa reperiuntur, et considerantes, quantum hujusmodi collectio utilitatem memoratæ scholæ liturgicæ in Collegio Societatis Jesu ejusdem almæ Urbis nostræ a Nobis institutæ, aliisque ubique locorum erectis afferre possit, apostolica auctoritate tenore præsentium communibus tot insignium virorum, ac præsulum votis et supplicationibus benigne annuentes, facultatem tribuimus et impertimur, ut Rituale Romanum, Cæremoniale Episcoporum ac Pontificale Romanum sub iisdem modo et forma, quibus de præsentibus impressa reperiuntur et usui sunt, una insimul cum omnibus et singulis, quæ, ut superius relatam est, a Nobis præscripta, ordinata et publici etiam juris facta sunt, necnon cum sæpe dicta methodo scholæ sacrorum rituum in operibus nostris jam editis inserta jussu nostro, non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus, typis reimprimantur, et in lucem emittantur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die xxv Martii anno MDCCLII, Pontificatus nostri anno duodecimo.

Cajotanus Amatus.

CÆREMONIALIS

EPISCOPORUM

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Corona nuper electi ad cathedram Metropolitanam, Episcopalem, seu majorem. Vestium forma et color. Quid agere debeant electi, in Curia præsentibus. Quid absentes. Vestes eorum, qui ex ordinibus regularibus, aut militaribus assumuntur.

1. Cum primum aliquis certior factus fuerit, se alicui Ecclesiæ Metropolitanæ, Cathedrali, vel majori a Summo Pontifice in Consistorio præfectum, sive ille in Curia Romana degat, sive ab ea absens sit, statim curabit, sibi amplam coronam in capite decenter formari. Tunc, et non prius, super vestem inferiorem talarem, cum extra domum exhibet, induet aliam vestem brevioram apertam, ita ut per scissuras brachia extrahi possint, quod genus vestis mantelletum vocant. Vestes autem hujusmodi erunt, vel ex lana, vel ex camelotto coloris violacei, nullo autem modo sericæ.

2. Præsentes in Curia, induti ut supra, quamprimum poterunt, adibunt Summum Pontificem, et ei gratias agent de sua promotione, merita propria extenuando, et dignitatis gradum amplificando, seipsos, et Ecclesias ipsis commissas humiliter commendando, et tunc e Sanctitatis suae manibus rocchetto accipient, et post oscula pedum gratias agent. Visitabunt deinde singulos Eminentiss. S. R. E. Cardinales in eorum domibus, eisque officiose gratias agent, se et suas Ecclesias illis commendando, et offerendo.

3. Absentes vero se ipsos rocchetto et vestibus, ut supra, induent, et gratiarum actiones, et Ecclesiarum suarum commendationis officium per litteras, tam apud Summum Pontificem, quam apud Eminentissimos dominos Cardinales peragere studebunt, et si erunt in propria sua diocesi, vel Provincia, cum de eorum promotione certum nuntium habuerint, utantur domi et foris, loco mantelletti, mozzetta ejusdem coloris supra rocchetto, et tam præsentes in Curia, quam absentes utantur, cum opus erit, galero nigro laneo, viridi serico ornato, cum cordulis ac floccis coloris viridis. Hæc, quæ de vestibus diximus, clericis seu Presbyteris sæcularibus, seu regularibus electis, tantum conveniunt.

4. Promoti vero ex regulari ordine non clericali, non utuntur rocchetto, sed retinent in vestibus colorem habitus suæ religionis, et deferunt ubique mozzettam ejusdem coloris, et biretum nigrum (galero tamen viridi, prout supradicti clerici utuntur) sed Canonici regulares utuntur etiam rocchetto, prout ante promotionem ad Episcopatum utebantur in sua Congregatione, et colore violaceo; sed non mozzetta, ut et Presbyteri S. Spiritus, et militiarum S. Joannis, S. Jacobi, et aliarum; qui tamen sui ordinis insignia in vestibus non deferunt, sed ejusdem ordinis crucem ad collum intus pendentem. Cum autem Episcopi, nulli regulari ordini adscripti, seu ex ordinibus militaribus assumpti, extra diocesim fuerint, mozzetta super mantelletum utantur, ubi talis viget consuetudo.

CAPUT II.

Procuranda ab Archiepiscopo et Episcopo ante accessum ad suam Ecclesiam. Quæ in itinere præstanda. Significandus ejus adventus Vicario, Capitulo et Magistratui Civitatis. Quæ preparari debeant pro ejus ingressu. Quo ordine processio peragenda. Ritus possessionis in Ecclesia capiendæ. Recessus ab Ecclesia ad ædem Episcopalem. Quid præstandum, si transeat per insignem locum suæ diocesis, vel in eo hospitetur.

I. Accessurus Episcopus ad suam diocesim, vel Archiepiscopus ad suam Provinciam, ante accessum poterit aliquas gratias, seu facultates a Sanctiss. D. N. Papa obtinere, præsertim Indulgentiam plenariam pro populo, suæ primæ Missæ adfuturo. Insuper præparabit, quæ in itinere et ingressu usui esse poterunt: ut vestes Episcopales ordinarias; cappam Pontificalem violacei coloris, seu, si regularis fuerit, coloris habitus sui; galerum Pontificalem cordulis ac floccis sericis coloris viridis ornatum; equi etiam, sive mulæ ornamenta opportuna; item libros necessarios, ut inter cæteros, Pontificale Romanum et hoc Cæremoniale; ac paramenta etiam sacra, quæ pro ingressu erunt necessaria, id est pluviale album cum stola, et mitra pretiosa, amictum, albam, cingulum, crucem pectoralem, et anulum, nisi ea ad majorem commoditatem a propria Ecclesia sumere velit. In discessu recitabit in Ecclesia, si commode fieri poterit, sin minus, antequam equum ascendat, cum suis clericis et familiaribus, itinerarium; idemque observabit quotidie mane post Missam, antequam equum ascendat, quamdiu erit in itinere: et si erit Archiepiscopus, quamprimum suam Provinciam intraverit, faciet ante se deferri crucem per aliquem ex suis Capellanis, imagine sanctissimi Crucifixi ad se versa; et sibi occurrentes subditos, qui genuflectere debent, signo crucis super illos facto benedicet, atque ita etiam faciet Episcopus cum suam diocesim intraverit.

2. Cum autem erit unius diei, vel bidui spatio propinquus propriae civitati, significabit Vicario suo et Canonicis, ac Capitulo, necnon Magistratui et Officialibus civitatis diem et horam sui ingressus, ut possint omnes se praeparare, ut ei obviam eant, eumque debito honore prosequantur. Praemittet etiam aliquem ex suis, qui clerum et alios, ad quos spectat, admoneat, ut processionem habendam in hujusmodi ingressu indicent; praeparari faciant baldachinum in porta civitatis, et deputari qui illud portent supra Episcopum, ut inferius dicitur; vias etiam, per quas eundem erit, mundari, ac floribus, vel frondibus conspergi in signum letitiae curent.

3. Die praestituta, Canonici et Capitulum cum toto clero debent processionali ritu proficisci extra portam civitatis, et prope illam consistere; Magistratus vero et Officiales cum civibus et populo Episcopum in porta excipere. Episcopus interim in aliquo sacello, seu honesto et convenienti loco, parum distante a porta civitatis, descendet de mula, vel equo, ac deposito itinerario habitu, induet cappam Pontificalem, iterumque ascendet mulam ornatum Pontificalibus ephippiis et stragula violacei coloris, ac galerum Pontificalem solemniorum in capite geret; atque ita equitabit, suis familiaribus et domesticis ipsum comitantibus usque ad portam civitatis, ubi descendens e mula, genuflectet super tapete stratum et pulvinum ibidem paratum, et devote osculabitur crucem sibi per digniorem ex Capitulo, pluviali albo indutum, oblatam. Mox surgens, in aliquo sacello, vel loco ad id parato, accipiet, deposita cappa, paramenta sacra, videlicet amictum, albam, cingulum, crucem pectoralem, stolam et pluviale album, ac demum mitram pretiosam, atque anulum, et conscendet equum, serico albo undique tectum, et decenter ornatum.

4. Ordo autem procedendi erit. Equitabunt primo cives omnes, deinde familiares Episcopi, tum Magistratus et Officiales civitatis, Barones et Principes, si qui aderunt; mox clerus omnis pedibus incedens, praecedente sua cruce,

quem cantores subsequantur cantantes, ut in Pontificali Romano; post hos Canonici et Capitulum Ecclesiae, et si fuerit Archiepiscopus, antecedit crux Archiepiscopalis, inter quam et Archiepiscopum nemo erit, nisi Dignitates et Canonici; demum Archiepiscopus, seu Episcopus mitratus equitabit sub baldachino, quod portabitur primo loco per Magistratum civitatis, deinde per nobiles cives usque ad Ecclesiam, sive per eos, quibus ex consuetudine, vel ex privilegio id convenit. Ipse Episcopus memor erit populo manu dextera aperta et extensa frequenter benedicere, signum crucis faciens. Post Episcopum equitabunt Praelati, si qui erunt, et reliqui togati.

5. Ante portam Ecclesiae Episcopus descendet ex equo super tapete stratum ibidem extensum, et retenta mitra, capiet aspersionum de manu digniorum de Capitulo antedicti, ut supra induti, quo se et alios asperget aqua benedicta, incipiendo a digniore: ac ministrante eodem, qui aspersionum obtulit, naviculam, imponet in thuribulum, quod aliquis Acolythus tenet, thus cum benedictione; tum praedictus dignior ex Capitulo, accipiens thuribulum de manu Acolythi, stans, facta prius profunda capitis inclinatione ante Episcopum, thurificet illum stantem cum mitra, triplici ductu thuribuli; et praecedentibus clero, Canonicis et Dignitatibus, atque Hymnum *Te Deum laudamus*, etc. cantantibus, ad altare sanctissimi Sacramenti, si est aliud ab altari majori, consistet ibi Episcopus, et remoto tunc baldachino, deposita mitra per aliquem Capellanum, aut Canonicum, si sit ante SS. Sacramentum, etiam clausum in tabernaculo, et facta genuflexione usque ad terram ante ipsum SS. Sacramentum, genuflectet iterum super pulvino ibidem parato in genuflexorio, et orabit; deinde surget, et facta iterum reverentia cum genuflexione sanctissimo Sacramento, accipiet mitram, et procedet ad altare majus, ubi ante infimum gradum, deposita mitra, faciet cruci, super altare positae, reverentiam, caput profunde inclinando; deinde genuflectet super pulvino et genuflexorio ibi parato,

et orabit; et interim ille dignior, ut supra indutus, accedet ad altare, et in cornu Epistolæ, in anteriori parte super suppedaneum, stans quasi versus orantem Episcopum, finito Hymno *Te Deum laudamus*, etc. cantabit ex libro super altare posito versiculum *Protector noster*, etc. et alia, prout in Pontificali Romano. Post orationem, Episcopus surget a faldistorio, et facta altari reverentia, accepta mitra, ibit ad sedem suam Pontificalem, in qua sedens recipiet omnes Dignitates, Canonicos et alios de Capitulo ad osculum manus, cantoribus interim Antiphonam, vel Psalmum aliquem cantantibus, vel organista organum pulsante. Deinde accedet Episcopus ad altare, quod, deposita mitra ante infimum gradum, et facta iterum cruci reverentia, in medio osculabitur, et cantata prius Antiphona Sancti Tituli Ecclesiæ cum suis Versiculo et Responsorio a choro, vel cantoribus, cantabit ipse in cornu Epistolæ Orationem ejusdem Sancti; qua finita, accipiet mitram, ad medium altaris revertetur, et dabit benedictionem solemnem, cantando prout inferius habetur *Cap. xxv. Lib. i. de forma danti benedictionem solemnem*, etc. eo modo, quo datur in fine Missæ.

6. Deinde facta prius cruci reverentia, assumpta mitra, si est Archiepiscopus, vel alius crucem ante se habens, et apud sedem suam, depositis paramentis, et assumpta cappa, procedet ad locum suæ habitationis, quem dignior ille de Capitulo, dimisso pluviali, et alii Canonici in habitu Canonicali comitentur, si habitatio erit contigua, vel vicina Ecclesiæ; si vero distantior, usque ad portam ipsius Ecclesiæ. Quod si adesset aliquis magnus Princeps, qui vellet Episcopum usque ad portam hospitii comitari, debet Episcopus aliquantulum resistere, non tamen hujusmodi obsequii et pietatis officium omnino recusare; præsertim si habitationis locus non multum distet, sed ei pro tali humanitate gratias agere.

7. Si contingeret, dum Episcopus ad suam civitatem proficiscitur, transire per aliquem locum insignem suæ diocesis, vel in eo hospitari, et clerus, ac magistratus ejus loci

eum honorare cupiant, permittet quidem, ut ei obviam eant, etiam extra locum, et eum comitentur usque ad Ecclesiam primariam ejus loci, et facta ibi oratione, usque ad locum ubi hospitaturus est, non mutato habitu itinerario, sed nulla fiet processio.

8. Quando vero Episcopus post ingressum in civitatem propriam, voluerit alias civitates, vel oppida insignia suæ diocesis visitare, conveniens erit, ut prima vice recipiatur cum sacra cleri sæcularis et regularis processione. Ipse vero non erit mitra et pluviali indutus, sed equitabit super mulam ornatam Pontificalibus ephippiis cum cappa et galero Pontificali, et offeretur ei in porta crux osculanda, et alia omnia fient etiam in Ecclesia, prout de civitate propria et primaria suæ diocesis dictum fuit.

CAPUT III.

Vestes Archiepiscopi et Episcopi, in sua Provincia et diocesi violaceæ, sint ex lana, sive ex camelotto, quibus superinduet Rocchettum et Mozzettam. Domi iisdem vestibus utendum. In congregationibus Concilii Provincialis, tam Metropolitanus, quam Episcopi Provinciales Mozzetta cum Rocchetto discooperto utuntur. Vestes laneæ nigri coloris in Adventu, et a Septuagesima per totam Quadragesimam, exceptis diebus solemnibus, commendantur, Cappa sit lanea et coloris violacei, et aliquando ex camelotto ejusdem coloris. Cappa Episcoporum regularium sit coloris suæ religioni convenientis. Galeri Episcopalis forma et color. Vestes Episcopi itinerariæ.

1. Episcopus postquam ad suam diocesim et civitatem, et Archiepiscopus ad suam Provinciam pervenerit, uti poterit vestibus violaceis, sive laneis, sive ex camelotto, superinduta super rocchettum mozzetta. Et domi eodem utetur habitu, saltem dum sit aliqua congregatio coram ipso Episcopo, vel ordinandorum examen, vel aliquid simile; ac etiam quoties erunt congregationes coram Metropolitano, dum celebratur Concilium Provinciale; quo habitu scilicet

mozzetta cum rocchetto discooperto in dictis congregationibus utentur, tam ipse Metropolitanus, quam alii Episcopi Provinciales, qui ibidem pro Synodo celebranda convenerint.

2. Eodem quoque habitu Episcopus indutus erit, quoties per civitatem et terras, seu oppida suæ diœcesis incedet. Sed habenda est distinctio temporum; nam in Adventu, incipiendo a Septuagesima, per totam Quadragesimam, item in omnibus Vigiliis, quibus jejunatur, et in Quatuor temporibus (exceptis his, quæ incidunt post Pentecosten), ac sextis feriis totius anni, differens erit vestium gestatio. Quia tunc Episcopum decet uti vestibus laneis et nigri coloris, excipiendo tamen aliquot dies, et quibus signum mœstitiæ ostendi non debet, videlicet a die Nativitatis Domini, et per totam octavam Epiphaniæ, a die Dominicæ Resurrectionis, usque ad Dominicam SS. Trinitatis, item per octavas Festorum SS. Sacramenti, Assumptionis gloriosæ Virginis Mariæ, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum, Titularis Ecclesiæ Cathedralis, et Sancti Patroni civitatis, ac Dedicacionis propriæ Ecclesiæ; item in anniversariis electionis et consecrationis ipsius Episcopi; die adventus alicujus magni Principis, vel cum celebratur aliqua publica lætitia: in aliis vero octavis, ut Nativitatis gloriosæ Virginis, S. Joannis Baptistæ, S. Laurentii, dies tantum octavarum excipiuntur; similiter omnia festa duplicia, quæ per annum incidunt extra Adventum, Septuagesimam et Quadragesimam; sed Annuntiationis festo, etiamsi infra Quadragesimam occurrat, vestibus violaceis uti debet. Hæc quæ dicta sunt, circa vestes quotidianas observanda sunt.

3. Quoad cappas vero, quibus Episcopi in propriis Ecclesiis utuntur, id erit observandum, ut regulariter sint laneæ et violaceæ, et non alterius coloris. In solemnioribus tamen festis, quæ in rubricis Breviarii primæ classis vocantur, dempto triduo ante Pascha, poterit Episcopus uti etiam cappa ex camelotto coloris violacei, nullatenus alte-

rius coloris, quibus quidem cappis pelliculæ circa collum et pectus de more consutæ sint, quæ deinde Vigilia Pentecostes, seu pro diversitate locorum citius, aut tardius, prout Episcopo opportunum videbitur, præintimatis etiam Canonicis, qui cappis utuntur, quo die mutari debeant, remonentur, et loco pellicularum sericum rubrum apponitur. Canonici vero regulariter in Ecclesiis, ubi illis utuntur, eas deponunt, et loco earum assumunt cottas supra rocchetto.

4. Cæterum quod dicitur de hujusmodi Episcoporum habitu, tam capparum, quam cæterarum vestium, non est intelligendum de Episcopis regularibus, qui non mutant colorem sui habitus, neque induunt rocchetto, sed in Ecclesia propria uti debent cappa coloris, suæ religioni convenientis, pellibus, seu sericolaneo ejusdem coloris suffulta. Excipiuntur ab hac regula Clerici regulares, et uti dictum est *Cap. 1. Lib. 1*, Canonici regulares qui rocchetto utuntur et colore violaceo, ut et Presbyteri S. Spiritus, et militiarum S. Joannis, S. Jacobi, et aliarum.

5. Omnes autem, tam sæculares, quam religiosi Episcopi galero utuntur a parte exteriori nigro, cui ab interiori sericum coloris viridis suffulciatur, cordulis pariter et floccis sericis viridibus, ab eo pendentibus. Galeris quoque duplicis formæ habendus est, alter, quo in solemnioribus equitationibus utuntur ejusdem formæ (præter colorem) quo Eminentiss. Cardinales pontificaliter equitantes uti consueverunt: alter simplicior, uterque ex lana, ac serico viridi exornati.

6. Extra diœcesim et Ecclesiam suam Episcopi non utuntur cappa, præterquam in Romana Curia, cum in Divinis, Pontifice Maximo, vel sacro Cardinalium Collegio præsentem, assistunt. Dum iter agunt, utuntur brevioribus vestibus cum manicis sub genu per palmum, vel ultra protensis, coloris temporum diversitati convenientis, ut supra explicatum fuit; circa collum vero fasciam sericam coloris

nigri, latitudinis duorum palmorum, vel circa, longitudinis fere ad mensuram vestium pendentium habere consueverunt. In diocesi autem, vel Provincia, mozzetta superinduenda est sine prædicta fascia.

CAPUT IV.

Archiepiscopus et Episcopus, in sua Provincia et diocesi singulis benedicunt. A benedictionibus abstinent, præsentem Cardinali Legato de latere, ac etiam Cardinali non Legato. Cardinalis Archiepiscopus, et Episcopus, celebrans coram Cardinali non Legato, omnes benedictiones dat. Episcopus, suo Metropolitano præsentem, a privatis benedictionibus abstinet. Quid præstandum ab Episcopo, si adsit Nuntius Apostolicus, habens in eo loco facultates Legati de latere. Quid si sit simplex Nuntius, aut Collector generalis, vel facultates Legati ibidem non habeat. Quæ urbanitas a Legatis, Cardinalibus, Metropolitanis, aut Nuntiis exercenda sit erga Episcopum, ut munia Episcopalia obire possit. Episcopi semper civitatum Gubernatores, et Magistratus antecedunt. Quomodo Episcopi obviam ire debent Cardinali Legato, vel non Legato.

1. Quando Episcopus ambulat, vel equitat per suam civitatem, vel diocesim, manu aperta singulis benedicit, et si est Archiepiscopus, crucem etiam ante se deferri facit. In Ecclesiis vero suæ diocesis, vel Provinciæ, etiam exemptis, dabit benedictionem solemnem; aliaque omnia ad officium suum pertinentia faciet, prout passim suis locis declarabitur: sed si contingat Cardinalem Legatum de latere esse simul cum Episcopo in ejus diocesi, vel Archiepiscopo in ejus Provincia, abstinebit Episcopus non solum a benedictionibus solemnibus, sed etiam privatis; et si erit Archiepiscopus, nullatenus permittet ante se deferri crucem, etiamsi ipse Archiepiscopus esset Cardinalis.

2. Quod si esset præsens Cardinalis non Legatus una cum Episcopo non Cardinali, abstinebit simili modo Episcopus

non celebrans ab omnibus benedictionibus, nec crucem sibi præferri permittet, si erit Archiepiscopus, remittens omnia munia Episcopalia exercenda ipsi Cardinali præsentem: celebrans vero Episcopus debet per aliquem suum Capellanum Cardinali præsentem significare, ut omnia prædicta munia exercere, et benedictiones dare dignetur: quæ si Cardinalis facere et exercere ex urbanitate noluerit, poterit Episcopus celebrans prædicta omnia adimplere.

3. Si vero Episcopus ipse esset etiam S. R. E. Cardinalis, et non celebraret, præsentem alio Cardinali, debet ipse Cardinalis Episcopus alium Cardinalem præsentem rogare, ut omnes benedictiones thuris, aquæ et ministrorum faciat, ac in fine populo solemniter benedicat: quæ si Cardinalis præsentem facere recusaverit, poterit ipse Cardinalis Episcopus prædicta omnia, vel remittere ad celebrantem, vel ipse exercere; dummodo, quando in fine populo solemnem benedictionem daturus erit, non stet apud sedem, sed propter reverentiam Cardinalis præsentem accedat ad altare, et inde populo solemniter benedicat.

4. Si vero ipse Cardinalis Archiepiscopus, vel Episcopus celebraret, præsentem alio Cardinali non Legato, ipse Cardinalis Archiepiscopus, habens ante se crucem, populo solemniter benedictet, omnes benedictiones, et alia munera Archiepiscopalia, vel Episcopalia dabit, et exercebit ipse Cardinalis celebrans. Præsentem vero, seu adveniente suo Metropolitano, cessabit Episcopus a benedictionibus privatis. Sed propter adventum alterius Episcopi non cessabit obire sua munia prædicta, nec relinquet sua insignia, licet in cæteris honorifice eum tractare et recipere debeat; ac domi ponet eum a dextris, secus extra domum. Si erit præsentem Nuntius Apostolicus habens in eo loco facultates Legati de latere, Episcopus ab eisdem abstinebit, a quibus illi cavendum esse dictum est, præsentem Cardinali non Legato. Sed si non habeat hujusmodi facultates, sed sit simplex Nuntius, aut Collector generalis, vel etiam si habeat facultates non tamen in ea civitate, vel loco, di-

tioni Episcopali subjecto ; Episcopus fungetur officio suo , neque ob ejus præsentiam sua munia intermittet. Quod si præsens fuerit Visitator Apostolicus Episcopus , vel non Episcopus , et sit in loco suæ jurisdictionis , exhibendi erunt ei honores , qui *Cap. XIII et XXIII Lib. 1.* præscribuntur. Archiepiscopi porro , eodem Visitatore in locis demandatæ Visitationis præsentate , poterunt ante se crucem deferre. Episcopi etiam , Cardinali Legato vel non Legato in eorum civitate Episcopali seu in Diocesi commorante , ab usu mozzettæ non tenentur abstinere.

5. Ut autem Episcopus commodius sua munia Episcopalia exercere valeat , puta : consecrare , ordinare , conficere Oleum sanctum , et similia facere , ex urbanitate Legatus , seu Cardinalis , Nuntius , aut Metropolitanus in civitate præsentate , hujusmodi actibus intervenire non curent : ne ob eorum præsentiam et dignitatem , vel Episcopus a necessariis functionibus Episcopalibus abstinere cogatur , vel saltem interposita mora , et majori cum difficultate actus prædicti executioni demandentur.

6. Gubernatoribus vero civitatum præsentibus , præmiuentia semper sit Episcopi , tam intra , quam extra Ecclesiam. Magistratus vero et alios Magnates , et viros nobiles , et præcipue Principes magnos et potentes , Episcopus pro eorum qualitate et gradu honorabit , non tamen ob eorum præsentiam cessabit unquam a suo officio ; neque ita illis sese submittet , ut qui patris locum tenet , ministri munus subire videatur , sed memor sit dignitatis suæ , quæ tantopere illi ex Tridentini Concilii gravissimo decreto commendatur.

7. Si vero Episcopus obviam iret alicui Cardinali Legato , vel non Legato ad ejus civitatem advenienti usque ad portam , vel extra eam , vel etiam si cum eisdem per urbem incederet , induet supra rocchettum mantelletum , et abstinabit a delatione crucis ante se , si erit Archiepiscopus , ob reverentiam officii , et dignitatis illius. Et si erit Cardinalis Legatus , abstinabit etiam ab usu mozzettæ. Secus si ali-

cui maximo Principi , aut dignissimo Prelato , vel Nuntio Apostolico obviam iret , quo casu non mutat habitum. Equorum autem , seu mularum stragulæ et phaleræ et ornamenta , Episcopo equitante , ex panno laneo coloris nigri seu violacei , ut supra , plus minusve composita erunt , prout ipse Episcopus solemnitus , aut simplicius equitabit , nisi paratus pontificaliter equitaverit.

CAPUT V.

Duo Magistri cæremoniarum ab Episcopo statuendi. Quales esse debeant. Eorum munia in parandis iis , quæ ad celebranda divina Officia ac Mystera , Cardinales , Principes , Ducesque excipiendos , pertinent. Eorum habitus. Sessionum ordines disponant. Stipendium eis constituitur.

1. Antequam cæremoniarum regulæ et usus explicentur , de ipsis cæremoniarum Magistris , quorum ministerio et cura omnia Ecclesiastica munia obeunda sunt , statuendum est. Curabit ergo Episcopus , ut duo , si fieri possit , de gremio suæ Ecclesiæ , aspectu et statura corporis convenienti , et multo magis scientia et bonis moribus præditi , experti et dociles , ad hujusmodi onus assumantur , quorum primus vigesimum quintum saltem attingat annum , sitque in Presbyterali ordine constitutus , bonis artibus instructus ; et , si fieri posset , juris Canonici , vel Theologiæ intelligentiam habeat , divinatorum Officiorum ac rituum Ecclesiasticorum assiduus et diligens perscrutator. Is erit in primis sollicitus circa personam Episcopi , aliarumque personarum dignitate , aut nobilitate præstantium ; ut eis præsto sit , si quid petant , aut si qua de re admonendi erunt : ac nihilominus omnia circumspectat , singulorum munia perpendat.

2. Quando autem erunt celebranda Officia , quæ non ita frequenter occurrunt , et quæ solemniori ritu , apparatuque

